



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab Anno 313. Usque Ad Annum 361

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1758**

**VD18 90117778**

§. 27. Epistola S. Athanasii ad Episcopos Ægypti.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66022](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66022)

Sæculum IV. Præfecto, & Prytani urbis Magistratu,  
A. C. 356. fidei datæ depositario. Hoc actum 18.  
 Januarii anno 356. Tum populus Ca-  
 tholicus libere ad consuetos conventus  
 pro more se contulit.

## §. XXVII.

*Epistola S. Athanasii ad Episcopos  
 Ægypti.*

*orat. I. in* Interim S. Athanasius epistolam circula-  
*Ar. p. 283.* rem ad Episcopos Ægypti, & Lybie  
*ibid. p. 287.* dedit, ut animos ad ferendam Arianorum  
 persecutionem adderet. Epistolæ suæ  
 causam his verbis indicat: *certa scientia*  
*teneo, quosdam Arianos convenisse, &*  
*scriptum Symbolum de fide composuisse,*  
*quod ad vos mittent subscribendum, & ad-*  
*dent minas, omnes, qui recusaverint, in*  
*Sup. §.* *exilium pellendos; jamque bujus vicinia*  
*XVI.* *Episcopos terrefacere cæperunt.* Hoc  
 Arianorum scriptum forte fuerit epistola  
 Imperatoris Constantii, quam in Concilio  
 Mediolanensi anno superiore protule-  
*Athan. or.* rant; aut forte aliquam fidei confessio-  
*I. instr. p.* nem Antiochiæ concinnaverant, quando  
*288.* Georgium in Episcopum Alexandrinum  
 ordinaverunt. Ut ut res se habeat, duo  
 in hoc molimine Arianos sibi efficienda  
 proposuisse dicit, *primo, inquit: ut ve-*  
*stris subscriptionibus probrosum Aarii No-*  
*men obtegant, ipsique hæresin ejus sectari*  
 non

non videantur, secundo, ut Concilium Ni- Sæculum IV.  
A. C. 356.  
canum obscurent, & fidem in eo exposi-  
tam deleant.

Hac Arianorum inconstantia, & fre-  
quentissimæ fidei formulæ ignorantia eor-  
um, & malæ fidei signa sunt manifesta;  
aut enim sine causa formulas multiplicant,  
aut hæresin fovere, & sub vocibus ambi-  
guis occultare volunt, quam nudam in lu-  
cem producere pudet. Hoc autem eorum  
mentem apertissime prodit, quod recipiant,  
& ad hæreant Arianae hæresis præcipuis  
factoribus, quales sunt Secundus Pentapo-  
litanus, Georgius Laodicensis, Leontius  
Eonuchus, Ursacius, Valens, aliique, a p. 289.  
Concilio Sardicensi depositi. Eadem est  
causa, quod Episcopos constituerint, ho-  
mines e procul sitis Regionibus accersitos,  
& populis ignotos, ut Cecropium Nicome-  
diensem, & Auxentium Mediolanensem,  
quod scirent, hæresi suæ propugnandæ pa-  
ratissimos.

Hinc etiam, pergit S. Athanasius: p. 290.  
in hanc urbem quemdam ex Cappadocia,  
Georgium nomine, cujus operam, cum ad  
quodvis facinus esset venalis, multa pecu-  
nia coemerunt, volunt immittere; quan-  
ta autem auctoritatis homo sit, ex eo co-  
gnoscite, quod ne quidem Christianus esse  
feratur. Deinde celeberrimos sui tem-  
poris Episcopos, & fidei constantia præ-  
cipuos enumerat, nempe primo, Magnum  
Christi

Sæculum IV. Christi Confessorem, Osum, Maximinum Gallia, & Successorem ejus, id est, Paulinum Trevirenses, Philogonum, & Eustathium in Oriente, id est, Antiochiæ, Julium, & Liberium Episcopos Romanos, Cyriacum ex Mœsia, Pistum, & Aristum ex Græcia, Silvestrum, & Protogenem ex Dacia, id est, Sardicenses, Leontium, & Euplichium ex Cappadocia, Cæcilianum ex Africa, id est, Carthaginensem, Eustorgium ex Italia, Capitonem ex Sicilia, Macarium Jerosolimitanum, Alexandrum Constantinopolitanum, Pederotum Heracleensem, Basilium, Meletium, Longinum ex Armenia, & Ponto, Lupum, & Amphionem ex Cilicia, Jacobum ex Mesopotamia, id est, Nisibitanum, & Alexandrum Alexandrinum.

Ut artes Arianorum, errores suos dissimulantium, eluderet Athanasius, Arianam opinionem fideliter & absque furo exponit, qualem primo, cum ex Ecclesia ab Alexandro Episcopo suo ejectus est, proferebat; eam deinde refellit, adductis clarissimis ex S. Scriptura textibus, & in fine solerter indicat, quomodo ea, quæ de Jesu Christo tanquam Deo dicuntur, ab iis, quæ dicuntur, tanquam homine, distinguenda sint. Arianam mortem, tanquam fraudis, & perjurii pœnam, memorat. Hortatur Episcopos, ut fidei Nicæna

cænæ adhæreant, ab hæreticis sibi ca-  
 veant, & fortiter resistant, cum hic de  
 Religionis Summa agatur. *Martyrium,*  
 inquit: *non in hoc solo consistit, ne quis*  
*incensum Idolis offerat, est & Martyrium*  
*mentis, quod consistit in eo, si quis fidem*  
*non neget. Judas proditor non Idolis sa-*  
*crificavit, neque Hymeneus, & Alexander,*  
*quorum fides naufragium passa est. Econ-*  
*tra Abraham, David, Samuel, & alii,*  
*quorum fidem S. Paulus laudat, sanguinem*  
*suum non dederunt. Ariani, & Meletia-*  
*ni ob lites sectæ suæ peculiare odio se pro-*  
*sequuntur invicem, sed, ubi de oppugnan-*  
*da veritate agitur, unitos videbis. Non*  
*hodie primum Ecclesiæ hostes esse noscun-*  
*tur, quinquaginta quinque anni sunt, ex*  
*quo Meletiani in schismate esse cæperunt,*  
*& triginta sex, ex quo Ariani totius Con-*  
*cilii universalis iudicio hæretici declara-*  
*ti, & Ecclesia ejecti sunt. Hic intelligi*  
 debet Concilium a S. Alexandro cum  
 Episcopis Ægypti anno 320 actum, quia  
 hæc epistola serius, quam anno 356 scri-  
 pta esse non potest, & Meletianorum  
 Schisma circa annum 301 initium sum-  
 psit. Per totam hanc epistolam S. Atha-  
 nasius, quantum potest, bonam Constansii  
 voluntatem excusat, omnis mali cau-  
 sam in Arianorum nequitiam refundens.

Sæculum IV.  
 A. C. 356.

p. 304.

2. Tim. 2, 17.

4, 14.

Heb. 11.

p. 305.

Sup. l. X.

§. 31.

Sup. lib.

VIII. §.

24.

§. XXVIII.